Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cxxxvij

Aut facite arborem bonam et fructum eius bonum. aut facite arborem malam. et fructum eius malum. Si quidem ex fructu arbor cognoscitur. Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali. Ex habundancia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona: et malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis. quia omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificabis. et ex verbis tuis condemnaberis. Feria vj Ad corinthios

Fres. Cum liber essem ex omnibus. omnium me servum feci. ut plures lucrifacerem. factus sum iudeis tanquam iudeus ut iudeos lucrarer. his qui sub lege sunt. qui sub lege essem cum ipse non essem sub lege. ut qui sub lege erant lucrifacerem. his qui sine lege erant tanquam sine lege essem. cum sine lege dei non essem: sed in lege essem xpi. ut lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis tanquam infirmus ut infirmos lucrifacerem. omnibus omnia factus sum: ut omnes facerem saluos. Nillo t. Introitus Sancti ihus a physeis qui venit regnum dei. Rndit eis et dixit. Non uenient regnum dei cum observatione. neque dicent. ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum dei intra uos est. Et ait ad discipulos suos. Venient dies quando desiderietis videre unum diem filij hominis. et non videbitis. et dicent uobis. Ecce hic. ecce illic. Nolite ire neque sectamini. Nam sicut fulgur coruscans de sub celo in ea que sub celo sunt fulget. ita erit filius hominis in die sua. primum autem oportet illum multa pati et reprobari a generatione hac. Et sicut factum est in diebus noe: ita erit et in diebus filij hominis. Edebant et bibebant. uxores ducebant et dabantur ad nuptias usque in diem qua intrauit noe in archam et venit diluuium. et perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus loth. Edebant et bibebant. emebant et uendebant. plantabant et edificabant. Qua die autem exiit loth a sodomis et pluit ignem et sulphur de celo. et perdidit omnes. Secundum hec erit: qua die filius hominis reuelabitur. In illa hora qui fuerit in tecto et uasa eius in domo. ne descendat tollere illa. et qui in agro similiter ne redeat retro. Memores estote ux-